



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

IX. Quid auxiliij, quid præsidij habuerit in Duce Poloniae?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

*S. Otho passim
cum processio-
ne excipitur.*

ma Dominum meum suscipientibus, festiua scilicet processio-
nis honore, gaudentesque per loca singula vno eodemque
exultationis cantu eius proposito alludentes; *Ciues Apostolo-
rum & domestici Dei aduenerunt hodie, & caetera, quae in illo Re-
sponso sunt, deuote cecinerunt.*

*Quid auxilij, quid praesidij habuerit in
Duce Polonia.*

CAPVT NONVM.

Septiduo.

*Dux Polonia
cum proceribus
obuiam is S.
Othoni, nudis
pedibus.*

*Septem dies
manet cum
Duce.*

*Dux dat S. O-
thoni Ministros
linguarum pe-
ritos.*

*Dux S. Othone
& Comites re-
bus necessariis
liberaliter in-
struit.*



Raterea Dux ipse & omnes Optimates Poloniae,
quasi ducentis passibus ab Vrbe Gnezna nudis
pedibus procedentes, cum magna susceptum
reuerentia, principalem vsque ad Ecclesiam
conduxerunt.

Dux ergo tali hospite laetissimus & gloriosus, per dies se-
ptem eius fruens praesentia, multa nobis exhibita humanita-
te, omnia etiam viae necessaria solerti cura institit praeparare;
deditque Domino meo de gente illa tam Sclauica, quam
Teutonicae linguae gnaros Satellites ad diuersa eius ministe-
ria, ne quid incommoditatis per linguae ignorantiam in gen-
te externa pateretur. Quid dicam? currus & quadrigas or-
dine longo, victualia, & omnes sarcinas nostras portantes,
monetamque illius terrae liberalitate contulit ingenua, nulla
nos sustinens laborare inopia; sed neque propria expendere;
ac si omne illius viae meritum suis impensis emere cogitaret.
Tres etiam Sacerdotes Capellanos de latere suo Princeps Epi-
scopo sociauit Coadiutores Verbi, & Centurionem quendam
nomine Paulitium, virum strenuum & Catholicum, qui
etiam naturali facundia idoneus esset con-
cionari ad populum.

